

Leptodoxia Jesu. I.
IMMANUEL!

DISSERTATIO THEOLOGICA
De Dicto Classico;

1. Joh. 1: v. 7.

SANGVIS JESU
CHRISTI FILII DEI
EMUNDAT NOS AB
OMNI PECCATO.

AUXILIO EJUSDEM JESU,

In Regia Acad. Aboënsi,

Consentiente Rever. Fac. Theol.

Pro Stipendiariis examinanda,

P R Æ S I D E

E NE VALDO SVENONIO,

Q. G. A. SS. Theolog. Doct. Profess.

& p. t. Alumnorum regionum Inspe-
ctore.

R E S P O N D E N T E

C H R I S T I E R N O H U M M I A N I

Smol. S. R. M. Stipend.

Ad diem 25. Febr. Anno 1802

M. DC. LXXXII.

A B O Æ.

Impr. à JOHANNÉ WALLIO, A. T.

Reverendis, Clariss. & Doctiss.

VIRIS,

DN. M. SVENONI FAGELINO,
Pastori in Ryßby & Praeposito ter-
ritorii Austroburgensis dignissimo,
Promotori propensissimo.

DN. M. JOHANNI WALLINO,
Pastori in Annerstadh / Torpa &
Nyttia meritissimo, fautori hono-
rando.

DN. M. PETRO RUBENIO,
Pastori in Hwittarndh / Berga &
Dörarp meritissimo, fautori cer-
tissimo.

DN. M. ANDREÆ ANANDRO,
Pastori in Angelstadh & Liungby
laudatissimo, Evergetæ optimo.

DN. CAROLO BOLHEMIO,
Pastori in Marfarndh vigilantissimo,
benefactori certissimo.

DN. PAULO CREWARD /
Pastori in Liunga & Hambnada
fidelissimo, fautori exoptatissimo.

SALUTEM & PROSPERITATEM!

Scriptura sacra, Promotores
& Fautores optimi, haud immeritò
audit norma & Regula vita humana,
secundum quam omnia nostra dicta
& facta sunt dirigenda; unde spiritus Sanctus
multis in locis egregiis encomiis & verbis ma-
gnificis eam deprecatur & extollit, dicens:
Scriptura sacra est lucerna pedum nostrorum,
lucens in loco caliginoso, est etiam caelestis
manna: aurum purum, ignitum, probatum,
Scientia & sapientia salutis, Fons vita. &c.
Convenienter sanè dicitur, fons vita & sa-
lutis, à quo fluit aqua dulcissima salutis nostrae
& vita aeterna, imò purissimus & saluberrimus
Sanguis JESU Christi, qui emundat nos ab
omni peccato, in quo sanguine sumus loti,
mundati & renovati ad vitam aeternam; hinc
nostra redemptio, hinc nostra salvatio & nostra
aeterna salus. Hujus materia propter infiniti
valoris estimationem ejus, in lucem edere exor-
sus est, Primarius noster Antistes, dignitate &
meritis in rem literariam, maxime Reveren-
dus Dominus Doct. ENEVALDUS SVENONIUS,
novum opus Theologicum ordine septimum,
finito jam non ita pridem Apologetico Dei.

Cujus collegii Theol. Dissertatio prima mihi commendata est, qualicumque meâ responsione defendenda, specimen aliquod in theologia deposituro. Non equidem ignarus sum ingenii mei vires cum materia summa majestate collatas, debiles ac fere nullas esse; difficultate tamen ab instituto deterreri me non passus fui, cum in rebus difficilibus etiam aliquid conari laudem mereatur. Circa hoc pietatis negotium, dum paulo altius mihi in memoriam revoco, vestram, Promotores optimi, magnam erga me benevolentiam, ac innumera illa beneficia mihi collata, non possum, quin vestra nomina hic in frontispicio inseram, & hasce vobis submissa mente pagellas offeram, calida spe fretus, vos cultorem vestrum pristinâ benevolentiam amplecti, me quoque catalogo inscribere eorû, quos promovendos velitis. Accipite itaque sincerâ fronte, Promotores honorandi, munus hoc chartaceum grati animi τεχμήριον. Valet & favete vestro cultori, qui vobis semper prospera quæq; vovet.

CHRISTIERNUS Hamman
Smol. Reg. A.

Κύριε ἀπαντῶν τῷ λόγῳ Φίλε καὶ συστρατιώ-
τα ἴμινε χαίρε.

Θυμασὸν μὲν, ἔ μὲν τοὶ πείρα δοκιμασθῆν
ὡς Πιλεκάνος οἱ ὡς τὰ φυσικὰ διαλείβον-
τες λέγασσι, οἷς πολλοὶ τ' πρὸς βουλήρων καὶ τ' ἐκ-
κλησίας διδασκάλων ὁμοίαν τετυχήκασι γνώμην
ἔχοντες; τῶ δὴ πρὸ ὄρνεον κολαφίζον τ' πλευρῶν καὶ
ὁπὰς αὐτῶ ἐμποιοῦν, τ' εὐτέθεν κατὰ ῥέον αἷμα
ὅπτι πὰς τ' ὑπ' αὐτῶ νεόσσων ῥάμφει ἀπεκταμέ-
νων ἐπισάζειν πληγὰς ἔστωσ αὐτῶ ζωπιῆσαι.
ὅτι δ' ἀντῶ μύθος ἦ, ἢ ἔχ, ὑπερβαίνω ἐκῶν,
τῶ δὲ οἶδα μὲν ἀπαντες. ὁσὶς καὶ καθαρὰς ἐαχηκέ-
ναι, τῶ διδασκάλως θεωρίας ἐν τῷ ἢ λέγειν ἢ γρά-
ψαι ὡς τ' τῶ πελεκάνος φιλοσοφίας. ἡμῖν χει-
σιάνοις ἔστιν ἐφ' ἀνέρωσεν ἢ ἀγία γραφὴ φιλο-
σοφίαν τῶ Σωτῆρος ἡμῶν χειρῶ ἐπαύτην γεγονέ-
ναι, ὡς ἐκκεχυκέναι αὐτὸν τὸ ἴδιον αἷμα τὸ ἀλη-
θῶς ζωπιητικὸν ὃ καὶ καταρῖζει ἡμῶς ἀπὸ πάσης
ἀδικίας. ἔτω γὰρ Ἀπόστολος. τῷ πρῶτῳ αἵματι ὡς
ἀμνῶ ἀμῶμα ἔσπινε χεῖρας ἐλυτρώθημεν, ὃ
καὶ καθαρῶ τ' συνείδησιν ἡμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων
εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι. ἐπαινῆ ἢ τοιγαρῶν ἢ
Σῶ μελέτη, κύριε **Hañar** ἀχολαμένε ὑπὲρ
τῶ τῶ ἀξιομνημονεύτε τῶ ἀποστόλας λόγῳ. συνή-
δομαί σοι Φίλε τίμιε, καὶ πᾶσι Σῶ εὐσέβεσι σπυ-
δαῖς τῶν ὑπὸ τῶ θεῶ εὐλογίαν προσεύχομαι.
Ἐρῶσο!

ERICUS FALANDER.

h, a, Acad. Rectur,

CHRISTIERNUS MALLEUS

Ἀναγερμαζόμενος

MALLEUS CHRISTI VERNUS!

Qui MALLEUS fieri, fugiens hyemalia fata
CHRISTI VERNUS amor, quod teris
Hammar / habes!

L. Mq;

PRÆSIDIS.

VIRO-JUVENI

*Eruditionis laude morumque præstantiâ
pereximio,*

DN. CHRISTIERNO Hammar / Smol.

Amico & Sympatriotæ per dilecto;

*De genuino deperditi humani generis λύτρω
publicè disputanti:*

PUniceus niveo manans de pectore Sanguis
Funditur occultis, per sua vasa, viis.

Ostia, mirandum est, adamantina rumpit
Olympi!

Quæ claudenda diu compita sic referat!

Malleus, hicce latex, Hammar / quem prisca
vetustas

Sollicitis studuit quærere, crede, modis!

Hunc CHRISTIERNE, trahens nomen de
dogmate CHRISTI,

Quòd mediteris, erit grande Tibi pretium!

L. Mq;

gratulatur

ELIAS Til. Qandz

Med. Doct. & Prof.

Hebr. IX. versus 22. quæ verba,

ἄφαιματιχοῦσας ἔ γίνεται ἄφαιματι,
ἠδὲ φεαζόμεν

et ad

eximium, moribus literisq; Prestantissimum,
DN. CHRISTIERNUM Hammar/
Amicum in paucis dilectū de sanguine AGNI
publice disputantem (magnus

Magna fuit quondam superū reverentia,
Pænarūq; metus, magnus Sincerus amor;
Accessit legis pariterq; ab Apolline late
Intemerata Fides, quam violare virum
Relligio vetuit, tepido quin cymbia lacte
Proferret Divis, thura dapesque daret,
sanguinis S; sacri pateras: hinc hircus ad arā
Ducier e cornu sœvit S; agnus agi:
Pœbeas quamquā placarunt carmine Graji
Iræ, interea sanguinis usus erat.

Grata minꝰ pietas tamē hæc, S; inutilis ardor,
Quo miseris placuit gens malefana Diis,
Atq; Deum temptit verum, qui pœnora purgat
Peccatis JESU sanguine. SACRA Novi
Federis oblata pro mundi victima vite!

Quæ valet immerso pondere quæq; valet
Tempore, nec ullo potis est absterger anno,
Dummodo sit hominū mens pia, firma fides.
Thura Deum rides, Hammar! dum sanguine sacro
Fretus, prolektas pœtoris igniculos.

ἀυτοσχέδια τῆς ἀβ

AND. WANOCHIO

Phil. pr act, Prof. Ord.

Esai: 53: 5.

Sanguineos CHRISTI Livores, un-
dè redempti,
Hammar monstranti prospera cun-
cta Precor

L. Mq;

ANDREAS Habelqwist!

Pereximie & Politissime

DN. CHRISTIERNE Hammar/
Patriota & amice singulariter dilecte:


Per latera effuso rubicundo sanguine Christus
Sic lapsos homines morte redemit ovans,
Vulnera peccati purgavit tam pretiosum
Λύτρον commonstrans. Hammar amande vale!
JONAS L. Granbeck

Προσφώνημα

Νῦν καθέδραν βαίνεις καὶ δεύτερον, ὦ φιλά-
μμαρ, τῶν γονέων βεληέρα ἢ γενεὰ (δελφε
ἰνδ' ἀραθαῖς σπαδαῖς ἄκρον διδαχῆς διόλεκτ',
Δόγμαλα λαμπρὰ θεῶν ὡς φανεροῖς τε λόγοις
ταῦτα γραφῶν ἀγίων, πῶς μὴ τῶν αἱμάτων ἡ-
σάλῃρος χρεῖσθ' ῥήματα θεῶν λογίοις. (μῶν
τένομα συχαίρω σοι ἀθάνατόν τ' ἀραθόν τε
Χαιρέτω ὄφρα παλεῖς, χαιρέτ' ἐπειτα γονεῦ!
ἔυγε θεῶν φίλε, καὶ μεσῶν χαρῶν τε λαίβευα,
Σοίγε προσευχόμενος εὐτυχίην ἔλεγον!

PETRUS ULNERUS, Smol.

Ad Lectorem.

ui est piorum parentum in Liberos, idem erga discipulos fidelium præceptorum animus erit, ut hi scilicet in id sedulò incumbant, quò illi non modò maturè erudiantur solideq; informantur in doctrinâ sanâ; sed & sobriè citraq; omnem, quantum in ipsis hodagogis est, molestiam, tolerare vitam queant. Ideoq; mihi hac vice persuasum fuit, commilitonum non solum profectum in studio theologiæ cooperari; verù etiam Respondentium sumptibus parcere, injungendo singulis non ultra, philyram saltèm, ut vocant, imprimendam, nisi materiam certis de causis maluerit aliquis extensioem. Vale!

DISP.
I.Resp.
CHRIS-TIER.
Hamar
Smol.

Aboæ.

APHORISMUS APO-
STOLICUS,

2. Job. 1. v. 7.

Tὸ αἷμα Ἰησοῦ χριστοῦ τῶ ὑἱοῦ αὐτοῦ, καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας.

Sanguis JESU Christi
Filii ejus (Dei) e-
mundat nos ab o-
mni peccato.

More Academico, auxilio omni-
potentis, optimi maximique Dei
nostri tractandus, ad Regulam metho-
dicam 2. Tim. 3: 16. *Omnis scriptura
divinitus inspirata, utilis est ad do-
ctrinam, argumentum, correctionem*

E institutionem qua est in justitia.
 Epanorthosi relicta concionatoribus:
 comòdè digeri posse videtur, ut sequitur
 §. 2. I. Vocum singularum Emphasis
 præmittenda est. II. Loci theologi-
 ci, quos dicunt, communes notandi.
 Et III. Hostes Αιματολογίας η̄ λυτροδοξίας
 Jesu refutandi sunt præcipuè.

I.

*Occurrit autem expendenda vox
 emphatica.*

α. SANGVIS.

§. 3. Sanguis (quasi sana vis)
 est Succus animalis rubicundus,
 ex chylo per venas lacteas He-
 pati communicato, vi officinae
 huic propriâ generatus, quo ani-
 ma operationes naturales, vitales
 & animales exequitur, Conf. Sperl.
Anthropol. p. 727. 139. **E** D. Mich.
Senert. Demonstr. Anat. A. 1653. Mense
 Sept. Witeberga.

§. 4. Quandoquidem verò Christi sanguis omnium in universa naturâ sanguinum generibus longissimè supereminet ac infinitis, quod ajunt, parasangis præstet, quippè qui non nudi hominis ἢ ἀμαρπλῆς, verum ἀναμαρτήτης, imò Θεανθρώπου sanguis sit, de Valore ac inæstimabili pretio hujus sanguinis nonnulla hinc πορίσματα deducere convenientissimum erit.

§. 5. 1. Virtus sanguinis Christi ad expiandum peccata nostra non modò Meritoria est, sed & efficaciam intrinsecam salutis, rarissimè, nèpè validissimum pretium est, sufficientissimumquè λύτρον pro redimendo, è captivitate inferni, universo genere humano. Quo respicit liber Concordiæ de pers. Christi pag. mihi 776. his verbis: *Postremò, scriptura in hoc negotio, non tantum in genere Filij hominis mentionem facit, sed & q: digitum in humanam naturam intendit, cum inquit: sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato.*

caro. *Ida. non tantum de Merito sanguinis Christi in cruce semel perfecto accipiendum est; sed Johannes eo loco de eâ re agit; quod in negotio justificationis non tantum divina natura in Christo, verum & ipsius sanguis per modum efficacia nos ab omni peccato emundet. Ita caro Christi est vivificus cibus Job 6. Et ex hoc Evangelista & Apostoli dicto, Concilium Ephesinum pronuntiavit, carnem Christi habere vim vivificandi.*

§. 6. II. Quamvis tum hic tum in aliis scripturæ locis passim, Christi sanguis *συνεδοχικῶς* partis pro toto, totam Christi Passionem denotet, quando videlicet eidem nostra Redemptio, remissio peccatorum, justificatio, emundatio, purgatio &c. & cæteræ salutis nostræ partes ceu pretiosissimo *λύτρω* adscribuntur, utpote Col. 1: 14. *Per Christum habemus redemptionem per*

sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Heb. 9:12. Christus non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, aeternam redemptionem inventa. Apoc. 1:5. Christus lavit nos a peccatis nostris per sanguinem suum. Matth. 20:28. Filius hominis non venit ut sibi serviretur, sed ut ipse serviret, ac daret vitam in Redemptionem pro multis, omnibus. In hoc ultimo dicto nota a. quod voci Serviree obedientia utraque involvitur, activa & passiva β. voce Vitam, includit sanguinem, quia vita est in sanguine, Lev. 17. & id genus dicta plurima: Nihilominus tamen causam indagare lubet, cur Sanguini Christi ejusque effusioni, nostra Redemptio, justificatio & Salvatio totiès in verbo Dei adscribatur?

6. 7. III. a. Alii causam, cur effusioni sanguinis Christi nostra Redemptio, justia

justificatio & salvatio adscribatur, hanc esse credunt, quia hic passionis *actus*, omnium maximè fuit evidens & in oculos incurrens; non tamen ut accipiatur *exclusivè* & *oppositè*, quæ activam Christi obedientiam, quæ firmissimis scripturatur fundamentis, è medio tollat, ut Piscator Herbournensis finxit, sed *inclusivè*. Quemadmodum *Dn. D. Joh. Taufereus* Prof. Argentoratensis in h. l. p. 3 docet, & cum eodem ego in Disp. de quæst. An Resurrexerit Christi pertineat ad opus Redemptionis?

§. 2. β. Alii tantam æstimationem sanguini Christi attributam & quæ solitariè à Spiritu Dei ad mensuram, arbitrantur, propter exorturos acerrimos Humanitatis Christi ac divini sanguinis hostes, Valentinianos, Weigelianos, Apollinaristas, Schwenkfeldianos ac Paracelsistas, infinitosque, qui Christo partim astrale ac phantasticum corpus affinxerunt, partim majestate ejus indignum putarunt ut sanguinem fundere. Conf. *Irenæus* L. 5.

c. 13. Nec non *Naxianzenus* Orat. 2, con-
tra Arianos: cujus verba sunt: *μη Ἀγ-
τῆρ ἀπιμος ὁ Ἀγιος πνευός*. Irenæi hæc
est sententia: *Quod nisi Servator
Christus verè carnem & sanguinem
assumpsisset & pro nobis verum san-
guinem effudisset, tunc verus ho-
mo pro nobis non satisfacisset, neq; ve-
rè fuisset redempti.*

§. 9. γ. Quidam sentiunt principali-
tèr Sanguini Christi nostram Redem-
ptionem ac purgationem à peccatis at-
tribui in scripturis; non quia spontanea
paupertas ejus, obedientia ac patientia
erga parentes, castitas, preces, obedien-
tia erga omnes leges Mosis, & plura quæ
liberè est exsequutus &c. non itidè fue-
rint, solutiones ac satisfactiones pro
peccatis nostris, ut in h. l. criminatus
olim *Joh. Piscator Calvinianus*, licet po-
stea refutatus sit Basileæ ab alio Calvini-
ano, *Ludovico Lucio*, quo errore e-
andem tibiā inflavit cum *Arrianis &*

Neos;

Neophotinianis; Verum idè sæpissimè nostram redemptionem sanguini Christi adscribitur, quia summus Dei erga nos amoris gradus in eo subsistit ac solutionis pro nostris peccatis per sanguinis effusionem ac mortem Salvatoris nostri, ultimus terminus subductus est, ut loquitur ipse *Joh. 15: 13.* Dilectionem majorem nemo habet, quàm ut vitam ponat pro inimicis suis. Summa: juxta nostrum sensum, & Christi sensibilitatem propriam, excepto quod cruciatus infernales passus, gravissimum passionis momentum in sanguinis profusione ac morte ejus terminabatur. Neutiquam etiam exclusam ab opere Redemptionis volumus effusionem Deificati sanguinis ante vel post mortem ejus, factam in circumcissione, flagellatione, spineâ coronatione, perforatione manuum ac pedum, perforatione latus, quæ facta est post mortem. Conf. Dn. D. Joh. Hulseman: in Myrto Lipsiensi cont. Lorinum Jesuitam & alios, pag. 29. seqq.

5. 10. *¶* Nonnulli, quoties Sanguinū Christi nostra restauratio acceptu fer- tur, ad eundem oculos convertunt eū ad pertiosissimum λύτρον tanquam cau- sam principalem & quidem merito- riam. Unde iterum B. Hulseman. in Extens. Breviarii pag. 146. ait: offic- ium sacerdotale exegit Christus, pro- merendo non sibi; sed ex valore in- trinseco *Meriti*. eoq; ex intentione Dei applicando omnibus hominibus, re- conciliationem cum Deo, tam agendo quam patiēdo. Dicta tñ. quæ recen- set prius, ad solam passionem referūtur qua- lia seqq. utpote ad sacrificium unicum, semel se litando in cruce mortēq; supe- rando factū, spectantia: Esa. 53:4. Lan- guores nostros ipse tulit. *Disciplina pa- cis nostræ super eum; Et livore ejus sanati sumus Ebr. 2. 9. Jesus ex gra- tiosā ordinatione Dei debuit mortem gustare pro omnibus 2. Cor. 5. 14. item pro omnibus mortuus est. Joh. 17. 19. Ego sanctifico me pro ipsis 3. morior.*

Conf. Num. 6: 8, 9, 10, Ebr. 9: 14. Postea ad activam obedientiam refert Gal. 4: 4. *Misit Deus Filium suum & subjecit eum legi, ut eos qui sub lege erant redimeret, & nos adoptionem filiorum acciperemus.* Iterum redit ad passionem Ebr. 10: 5. *Corpus adaptasti mihi, ut faciam voluntatem tuam, per quam sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi &c.* Rom. 4: v. ult. *Traditus est propter peccata nostra.*

§. 11. e. Quidam agnoscunt quidem hanc distinctionem tanquam orthodoxam, sed tamen minus accuratam, quia etiam passiva obedientia maximè operativa fuerit, ut putat B. Dn. D. Gothofrid. Cundisius ex B. D. Höphnero in comp. theol. B. Hutt. p. 753. Verū salva res est: Vis n. satisfactoria ac mortis destructoria non tollit relationē inter agere & pati.

§. 12. 5. Tandem Dn. D. Calovius, præceptor meus olim maximè Reverend9, adhuc Deo Laus superstes, in Bibl. illu-

stratis hunc in locum ait, litem sic dirimens: in hoc aureo aphorismo notetur.

1. *Emūdationis causa meritoria sanguis J. C. quo exprimitur tota ejus obedientia cum activa tum passiva, quæ in effusione sanguinis maximè illuxit. Phil. 2:8. Designatur a. imprimis sanguis, quia respectus fit ad sacrificia expiatoria, quæ sanguis pecudum datus sit pro vitâ hominis Lev. 17. 11. Et effusus sit in remissionem peccatorum. &c.*

§. 13. ζ. *Huic sententiæ analogæ sunt, quæ de merito Christi scribit B. Dn. D. Leonhartus Hutterus noster de partibus meriti Christi, in LL. CC. pag. 450. his verbis: Queritur, quot partibus constet λόγος sive meritum Christi Servatoris? ad quod respondemus duabus potissimum illud in scripturis definiri, nempe satisfactione & obedientiâ, quarum illa passiva nominatur obedientia in Scholis Theologorum, quippe suppliciorum toleratione constans: hac ve-*

vò activa dicitur obedientia, quippè in exactissimâ legi divina observatione & implementatione consistens. Rident nonnulli hodiè & cavillantur hanc distinctionem, cum primis Piscator Herbarnensis, ut & Paraus in suo comment ad c. 5. Rom. contendentes soli sanguini & morti Christi universum λύτρον in sacris adscribi; sed non animadvertunt sophista, hoc fieri κατ'ἔξοχὴν & συνεκδοχὴν. Quia n. sanguis Christi, reliqua omnia mediationis adjuncta, multo parasanguis excedit & superat, quippè qui est sanguis ipsius Filij Dei, & mors ipsius, latum colophonem toti passioni Christi imposuit, secundum illud in cruce prolatum: Consummatum est, ideò huic per Excellentiam universum etiam meritum Christi sapius adscribitur. Verùm, non propterea obedientia illa activa excluditur sed potius presupponitur: ita quidem ut passiva illa nunquam Redemptionis effectum consequi potuisset, nisi absolutissima legum divinarum obedientia precessisset. Hinc Allegatis dictis script. pro activa, Rom. 10: 4. c. 5: 19. ubi, quia inobedientia Adami

constabat transgressione legis, monet, ex vi ἀντιθέσεως, obedientiam Christi definiendam esse h. l. per legis impletionem, ideoq; ipse ait. Matth. 5: 17. *Non veni solvere legem, sed implere: pro passivâ, Gen. 3: 15. Ps. 69: 5. Esa. 53: 45. Rom. 3: 25, c. 5. 9. Phil. 2: 8. differit porro: Utriusq; hujus obedientia egregia harmonia ex consideratione justitiæ divinæ evidentissimè elucet. Quemadmodum enim justitia Dei alterutrum ab homine flagitabat, ut vel legi ex toto satisfaceret, vel aeternæ maledictionis reatum sustineret: Ita Christus utrumq; expedire debuit, 1. ut perfectam legi divinæ præstaret obedientiam 2. ut pœnas, quæ nobis aeternum sustinenda erant, auferret, quorum illud implenda legem; hoc verò patiendo & moriendo plenissimè per Christum est expeditum: & sic tum omissionis defectus per ipsius obedientiam restitutus, tum commissionis peccata per ipsius passionem & mortem expiata,*

5. 14. 7. Brevitèr B. Dn. D. Balhasar Menzerus circa causam hujus mysterii
-pro

provocat ad Finem seu scopum instituta
 sacra *συνάξιος* ad Art. X. de S. cœ-
 nâ, in Exeg. Aug. Conf. pag. 507. his
 verbis: *Finis S. Cœnæ est, Recordatio Mors
 tûs dominica, nimirum ut ex piâ meditatio-
 ne Evangelii, memoriâ repetamus historiam
 totius obedientiæ Christi, cujus complemen-
 tum fuit mors &c.* Et porro pag. 510. scri-
 bit: *Bibentes ex benedictô calice sanguinem
 ejus pia devotione meditemur & recolamus in-
 tegram passionis dominica, adeoq; totius obe-
 dientiæ ab ipso pro nobis præstitæ, historiam.*

§. 15. J. B. Dn. D. Wolfgangus Franzius
 in causâ hujus assignatione, arbitratus
 est respectum fieri à Sp. S. ad cruentas
 victimas V. T. postquam enim probas-
 set in Scholâ sacrificiorum, Dapalia, iu-
 menta, turtures & columbas, capras &
 agnos vitulosquè, holocausta & pacifica
 typicè expiâsse peccata, pag. 748. ait:
*imprimis verò sanguis cunctarum victimarum
 ex Dei institutione expiabat peccatorè, quem-
 admodum textus habetur Clarissimus Lev.
 17: 10. 11. Homo quilibet de domo Israel, &
 de advenis, qui peregrinantur inter illos, si*
 com-

comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam illam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illam vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, quia sanguis pro anima piaculo est, vel quia sanguis ipse animam expiat. 1. Unde etiam B. Dn. D. Balthasar Meisnerus probat antitypicè sanguinem Christi pro nobis effusum fuisse victimalem & consummativum expiatorium, *Anthropol. Disp. XV. pag. 218. seqq.*

§. 16. Claudat agmen D. D. Calovius repetitus ex LL. CC. de oblig. Jesu pag. 436. *Impletio legis*, imprimis moralis, obedientiæ nomine venit, ejusq; tum *active*, tum ratione termini *Maximè* etiam *passive*. Dico *Maximè*: quia obedientia in passione ultro neâ uti voluntatem & Mandatum Domini respiciebat, Joh. 10:19. Ita ad legem moralem pertinebat vi primi præcepti divini, quod obedientiam Deo Patri præstandam requirit. Conf. Matt. 26 39, 42. Ebr. 5:7. Ejus verò terminus disertè constituitur *Mors*, & quidem *Mors Crucis* Phil. 2:8. Unde in *Cruce* exclamavit Christus *τετέλεσται*, consummatum est, Joh. 19:30.

Tantum de voce Sanguinis.

B. JESU